

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1389

Auteur(s) : Louis, Chimey (comte)

Bénéficiaire(s) : Geoffroy, Rouen, Saint-Ouen (abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1193-1208]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Prieuré de Vaux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Pommeraye Jean-François, *Histoire de l'abbaye royale de Saint-Ouen de Rouen*, Rouen, Lallemand, 1662, p. 482-483.

Dissertation critique

Abbatat de Geoffroy, vers 1193-1208.

Texte établi d'après a

Noverint universi ad quos præsens scriptum pervenerit, quod ego Ludovicus filius Ludovici quondam comitis de Chismay, recepi de dono et concessione Domni Gaufridi tunc Abbatis sancti Audoeni Rothomagensis et conventus eiusdem loci advocatiam terræ suæ de vallibus in Lotharingia, cum villis ad illud manerium pertinentibus. Ita videlicet quod ego et hæredes mei debemus habere placita suorum hominum, sed consilio et assensu monachi qui ibi missus fuerit debemus capere misericordias de hominibus et homines tractare. Debemus quoque habere de unaquaque bestia ad aratrum trahente ad fractionem terrarum unum quartarium frumenti, et unum quartarium avenæ ad festum S. Remigii, et duodecim denarios ad Pascha, et nihil amplius in terra capiemus nisi de assensu monachi ibidem habitantis, et si aliquid de assensu illius capiemus, nos ex eo quod captum fuerit medietatem habebimus, et monachus aliam medietatem habebit. Novos vero arcarios terrarum quos sine assensu eorum monachi sui qui ibidem missi fuerunt tradiderunt et investierunt quod facere non poterant, ad dominium suum reducemus, et eis pro posse nostro restitui faciemus, et quo axata sua ad illos pertinentia. Monachum vero suum et homines suos pro posse nostro debemus custodire. Itaque si aliquid damnum eis evenerit de guerra vel odio aliorum advocatorum, qui advocati esse non debent pro posse nostro eis restaurari faciemus. Bannum vero de sapoque, sicut ecclesia S. Audoeni antiquitus pacifice possedit, in rosaria, in herbagiis, in nemoribus debemus revocare, et ad dominium eorum pro posse nostro reducere, et eis garantizare, in nova vero villa de Herbueual, habebunt dicti monachi tertiam partem molendini, si aliqua pars quantulacumque fuerat in terra sua sita et nos duas partes habebimus, et habebunt medietatem furni et totius utilitatis quæ de eo poterit provenire, et nos aliam medietatem habebimus. Habebunt etiam jura terrarum quæ vulgo dicuntur terrages, sicut antiquitus habuerant, et decimas totas terrarum illarum, et nos habebimus justitiam forisfacti villæ illius et jus aliud quod dicitur assise. Et sciendum quod de præfato Molendino si in feodo eorum fuerit tertiam partem custi invenient et sciendum est, quod nos advocatiam terræ illius nulli alii committere possumus quam nobis. Et ex quo ego Ludovicus de medio sublatus fuero hæredes

mei venient ad eos apud Rothomagum et in præsentia monachorum super prædicta advocatia homaginum et fidelitatem facient. Si autem ego Ludovicus vel hæredes mei, de præscriptis conventionibus forisfecerimus, et ad summonitionem eorum emendare noluerimus, illi advocatiam suam alias ponere poterunt et alii conferre. Et ne huiusmodi conventiones aliqua posterorum malignitate vel calumnia possint in irritum revocari : ad majorem rei confirmationem, ego Ludovicus tactis sacrosanctis Evangeliiis in præsentia eorum juravi me præscriptas conventiones fideliter observaturum et inde eis homagium feci, et fraternitatem eorum recepi, et præsens scriptum sigilli mei patrociniò roboravi.